

QUOD BENE VERTAT!

TEMPLA  
VETERUM,

Venia Ampliff: ad Aoram Phi-  
losophorum,

&  
AUXILIO

*Admodum Reverendi Domini,*

M. TORST, RUDEEN,

Poëf: Prof: Celeberrimi,

*Contemplanda sistit*

SAMUEL MÖLLER,

In Academia Aboënsi,  
die 28 Maji, Anno 1704.

---

Exc. JO. WAL,

*L<sup>r</sup> Carenius*

*Plurimum Reverendis &*

**M. CHRISTIANO  
WALLSTENIO,**

Pastori in *Wesmo* vigilantissimo, &  
tractus vicini Præposito diu me-  
ritissimo.

NEC

*Speſtatiffimo*

**DN. JOSEPHO FABERMAN,**  
Civitatis Neostadiensis Consuli æquis-  
simo.

UT

*Reverendo, Doctissimoque,*

**DN. JOHANNI TOCKLENIO,**  
Sacellano Ecclesiarum in Varzala &  
Fagernæs fidelissimo.

**PATRONIS, EVERGE**

omni animi veneratione & offi-  
hoc animi

*inſcri*

*Clarissimis* DOMINIS,

M. ANDREÆ

BERGIO,

Ecclesiæ Zössalensis Pastori accuratissimo, & Præposito dignissimo.

NON

*& Prudentissimis,*

DN. JOHANNI BURSMAN,

Senatori & Mercatori Neostadiensi laudatissimo.

ET

*Speſtabili & Honoratissimo,*

DN. HENRICO SORENAN

Prædiorum Willnæs & Hermanſari Inspectori commendatissimo.

TIS & FAUTORIBUS

Ciis colendis ac prosequendis,  
grati signum

*bit*

Ignoscite

PATRONI & EVERGETÆ,  
QUOD VESTRIS Nominibus  
hanc immaturam opellam  
ornare ausus sum:

coëgerunt enim  
hæsitantem,

gratia insignis,  
inque immerentem beneficia,  
aliquo Vos, licet tenui, offi-  
cio prosequi.

Accipite igitur DOMINI,  
hunc vilem fetum,  
gratiaque VESTRA  
foвете.

V. V. N. N.

*Officiosissimus cultor*  
Samuel Möller.



CUM PROPITIO DEO,  
ET BENIGNO LECTORE!

1.



rimis parentibus, cum maxime apud DEUM gratia valebant, & illo intime utebantur, totus mundus templum, paradysus sacellum & arbor vetita sanctum erat sanctorum; ut primum vero gratia DEI per illicitum sanctissimi penetralis ingressum exciderunt, templum non erat, nisi ubi פני יהוה, facies DEI illis inluxit, sive ubi DEUS preces & sacrificia eorum excepit, suam voluntatem revelavit & opem præstitit.

2. Templorum itaque vicem primum amœna loca subibant, patulæ nempe arbores, herbidi campi & faciles colles, in quos, structis altaribus, populus verbum DEI auditurus & rem divinam

facturus confluxit; imo quævis etiam loca, ubi DEUS vel quærebatur vel se præsentem stitit. Deinde vero rarefcentibus piis privatæ Patriarcharum domus, vel arbuta, lucive his vicini ob aptum sacris silentium, templa & sacella fiebant, donec tandem per Mosen DEUS populo suo, & tabernaculum s. templum tabulatum struendum, & ritus, quibus in eo coli voluit, sequendos injungeret.

3. Pagani etiam diu templis caruerunt, impium & majestatem divinam indignum censentes, parietibus cohibere Deos, totius mundi Dominos; Persæ vero templa prorsus neglexerunt, ideoque jussu Xerxis omnia fere Asiæ & Græciæ fana combusserunt, ut Soli, Deorum clarissimo obscura & incongrua. Plato quoque & Zeno græci ideo templorum structuram omnem damnabant. Vicem vero templorum primo illis *Βαμφοί* & vertices montium implebant, quippe quos a natura cultui divino esse destinatos miseræ gentes crediderunt, quod veri DEI  
cul

cultores ( quorum semper infelices imitatores ) in montibus ad sacrificandum convenisse, & sermones ibi cum DEO habitos audirent: firmavit vero fidem, quod facilius ex propinquo Dii preces audire putabantur, quodque *μυριοπλήθης* Sathan in illis apparens, DEOS in montibus tanquam suis domiciliis venerandos esse persuasit: hinc non modo tot montes Jovis & Hermea, sed & *Θεῶν οἶκος* Caucasus & *ιερόν Διὸς* Carmelus nati sunt. vid. Voss. in Idol.

4. Postea simius DEI diabolus in lucos & nemora sedem suam transtulit, & cultum suum multiplicaturus, Sylvanos, Faunos, Panas, Satyros & quos nescio Lucucos cœcis mortalibus timendos, colendosque produxit; ut vero optime nequitiae etiam hominum consuleret, iisque mala quævis patrare impune liceret, plurimis lucis *ἀσυλίαν* addidit: exemplo est ille Romuli, ad quem purgamenta omnis generis hominum, novæ urbis membra futura agminatim confluebant. Liv. l. i. huc luci Upsalensis Sve-

Svecorum, Biarmensisq; Finnorum, huc quoq; Perlarum *πυραδεία* & Græcorum *τεμένη* s. certæ agrorum partes Diis consecratæ, spectant. Imo demum teste Plin: Max: que Tyrio, certæ arbores numinum templa fiebant: ut quercus Dodonæa per columbas fatidica, & hodieque Chinensium annosa arbor Cienvien in fano oppidi Kien culta.

5. Tandem antra quoque speluncæque vel natura, vel arte factæ numinum sedes haberi sunt cœptæ, quippe quas oraculis & vocibus dæmon claras fecit. Erant vero: Curetum in Creta Jovi sacrata, Lunæ & Panos Lycæi in Arcadia, Bacchi in Naxo, Veneris in Græcia, Magnæ matris in Phrygia. Ultimo fontes, flumina, lapides & quæcunque demum, arte Diaboli Diis consecrata sunt atque diu pro templis usurpata.

6. Antiquissimum igitur omnium crediderim templum illud Israelitarum mobile & portatile, tabernaculum scilicet, fuisse, quod sibi DEUS strui iussit, ut inter illos habitare posset, h. e. in eo



sacrificiis & precibus coli, atque gratiæ suæ præsentiam ostendere Ex. 25. 8. conditumque est in Arabum desertis A. M. 2514 & liberationis 1.

7. Gentes vero, ut Sacerdotes, sacrificia, altaria, ritusque sacros multos ab Ebræis, ita quoque ædium divinarum rationem multæ mutuatæ sunt: ut enim Deos cominus intueri, de proximo affari & cum præsentibus veneratorum colloquia miscere possent, templa illis posuerunt: quin etiam ut statuas Deorum, quibus consecratione numen erat illatum, & ab injuria aëris munirent & magnificis domibus honorarent. Imo maxime hanc ob rem, ut, siue unius, s. diversorum regnorum populi haberent, ubi statis temporibus convenirent, & sacra faciendo, comitia agendo, epulando, lites componendo, nundinas celebrando & exercitia liberalia varia tractando mutuos animos religione & amicitiae officiis constringerent. Celebre hoc nomine erat templum 3 Deorum Upsalense, nec non Ionum & Doriensium

communibus sumtibus huic fini extructum. Idem animus Tarquinio Prisco traditur fuisse, scilicet, ut commune Romanorum, Latinorum, Hernicorum, & Volscorum fanum perpetuæ pacis servandæ causa ædificaretur. Idem quoque Servio Tullio. Eundem DEO O. M. circa Hierosolymitani Templi structuram fuisse, multi credunt.

8. Quæ autem gens templum prima struxerit, inter eruditos non convenit. Templum Belis. Babylonicum tam Targum Jonathanis & Hierosolymitanum, quam Herodotus, aliique, jam a structoribus primis Babelicæ turris factum fuisse, sed gratis dicunt. Alii Ægyptiis, ut splendidissima, ita quoque prima tribuunt templa. Pauci Faunum Saturni filium templa primum struxisse, ab eoque fana denominata esse credunt. Magnis vero multisque rationibus probat Celeb: Rudbeck Svecos celebre suum templum Upsalense primos struxisse, & factis crebris migrationibus ac expeditionibus in totum terrarum orbem,  
mul-

multos suam religionem, cultum, ritus & templa ponenda docuisse. Certe in Ægyptum Isidis & Serapidis sacra & templorum ratio ex septentrione adducta videntur. Trojæ item templum Veneris Frutinal, quid nisi suecæ originis? nomen enim ejus ex nostris Fru Tiff vel Disa & sal vel hal, corruptum, primitusque dictum Frutinsal, sicut Upsal, sed successu temporis ab imperitis linguæ omissum est S, melioris soni & facillioris pronuntiationis gratia.

9. Denique Fanum, cujus nomen pure gothicum & a Fanin, illustris, clarus ( insignium virorum titulo ) deflexum, ex historiis domesticis, peregrinisque constare nonnulli doctorum opinantur, cum parentibus, Saturno s. Sadur Gro vel Niord, & Opi s. Æfia/ in Italiam migrasse, ejusque incolas agriculturam, literas atque certorum Deorum cultum, Jano regnante docuisse. Quod si verum est, minimemirum videbitur illum in Italia primum templa sacris summe neces-

saria ad typum Upsalensem posuisse. Templum sane Jani Quadrifrontis Romæ ad templi Upsalensis formam structum fuisse, undique scilicet patens & columnis impositum nonnulli autumant. Ne dicam Opis, Serapidis, Vestæ, solis, Lunæ & Terræ sacra atque sacella Uplalis in totum orbem propagata esse. Fanum quoque a Fanin derivatum esse tum inde certum est, quod in Italia nulla ejus origo commodior datur, tum ex cognato nomine Marforum templi, Tautana; de quo Tac. l. i. Ann. Cætera vero, quæ ad ætatem templi Upl. faciunt, dabit Celeb. Rudbeck.

10. Ætate Upsalensi, si non proximum, affine certe fuisse nobile illud Biarmensium S. Finnorum fanum, Jamala sedem, indicio sunt, tum rudis illa rudium lapidum compaginatio & structura, qualis in Upsalensi, tum multiplex ac varia calcis, asserum, auri, argentique, identidem facta, incrustatio: quo enim quodq; opus est rudius, eo antiquius, & quo crebrior reparatio, eo ætas major.

Hi.

Historiæ etiam nostræ vetustissimæ hujus antiquissimi auro, & argento, gemisque sæpe vestiti templi multam faciunt mentionem. Sturl. S. & Bolæ sag.

ii. Templum vero Trojanum omnium, excepto Ups. templorum vetustissimum esse credibile est; quod itidem Gothos, simul ac urbem Trojam, expeditione prima, seculo M. sexto supra vicimum facta, struxisse existimat Atlantices auctor. Quia imo splendidissimum illud Judæorum templum inter antiqua non est ultimum: illud enim summo DEO sedes a Salomone rege strui est cœptum A. M. 2993 l. 2988. & septennio consummatum. Deinde vero ope Diaboli & æmulatione hominum inceperunt ubiq; gentium ædes sacræ poni, in iis præcipue locis, quos occupabant advenæ Gothi, quique eorum coloniis vicini erant.

12. Tempia autem, quæ initio pauca & rara, astu Diaboli suum cultum late propagantis, multiplicari cœperunt, Romæ præcipue, adeo ut templorum, ædium & ædicularum (exceptis delubris, sta-

tuis & lucis) numerus ibi creverit ætate Augusti supra 370. Hujus vero rei primaria erat causa, gratus ob victoriam & res prospere gestas, in DEOS animus: ita conditor urbis Romulus victis Cæniensibus primum in nova urbe templum Jovi Feretrio pro victoria condidit, teste Liv. l. i. maxima vero; ad vovendum pronitas: cum enim Romulus a Sabinis fugaretur, factis ad Jovem precibus, ædem illi statore, si suos sifteret & hostes pelleret, ponendam vovit. Ita quoque in medio pugnae discrimine multi consules & Duces Romani voverunt: cumque id ex sententia sæpe succederet, decernebatur, ut imperatores in bellum ituri vota sollennia nuncuparent in fano Jovis Feretrii, illuc se spolia hostis & pompam triumphalem illaturos, templum vel novum alicui DEO condituros, vel vetus ex præda reparaturos, ut eo modo gratiam & opem Deorum sibi conciliarent. Voti auctor vero, velato id capite, verbis conceptis, præeunte ver-

ba Pont. Maximo, intuens orientem & cum auctoritate senatus, scitoque populi facere debuit.

13. Deinde ex sepulcris quoque auctæ sunt sacræ ædes, cum eos, quos in vita Diis simillimos judicabant, post mortem, DEOS factos, & templis colendos esse putabant; auxit superstitionem Dæmon, eorum sepulcra, quos divinis honoribus, bene meritos, non affecerunt posteri, fulmine consecrans, sicque ad templa iis condenda cogens. Coloniae etiam & jugo aliorum subditæ gentes, ut a suis dominis, eorumque Diis gratiam insignem inirent, illis Diis templa in sua terra poluerunt, imo aliquando etiam formam eorum templorum imitati sunt, ne Dii barbaro & peregrino ritu structas ædes averfarentur. Nec tamen sine dominorum venia: nam Iones Helica pulsi petentes ideam templi Helicensis a victoribus, non impetrabant. Nec Hyperborei s. Upsalenses reges permiserunt regibus stipendiariis licentiam in suis provinciis templa ponendi, ne suæ

auctoritati quidquam decederet. Imo nec  
 suis colonis Marfis copiam struendi æ-  
 dem Tanfanam dedissent, nisi fonticæ  
 causæ suafissent. Alii vero libenter indul-  
 serunt: ut Alcalonitæ suæ ædis Venere-  
 æ figuram Cypriis, & Achæi Ionibus:  
 Quidam ultro obtulerunt, vel quibusvis  
 vendiderunt: ita Ephesii, & eorum per-  
 missu Demetrius (cujus mentio fit Act.  
 19.24.) argenteas ædiculas ad figuram  
 templi Dianæ elegantissimi fictas qui-  
 busvis vendiderunt, ut fama tanti tem-  
 pli late vulgaretur, aliique ad id exem-  
 plar Deæ fana ponerent. Tandem ita  
 moleste seduli fiebant homines, ut quoq;  
 loca, in quibus monstrosa se specie Dæ-  
 mon ostenderat, templis honorarent.  
 Quin imo aucta indies superstitione, ex  
 somniis & nocturnis phantasmatibus  
 nata sunt fana. Mitto vocibus & ora-  
 culis mali genii iussas ædes. Transeo  
 imperatores Romanos, ut sibi fierent,  
 vel mandantes, vel permittentes. Taceo  
 infinitas virtutibus ædes positas. Quid  
 dicam vitiis, rebusque laudis expertibus



eo fine cōditas, ut ab illis caveretur? Horreo nominare, quas incestus, aliaque delicta ad favorem populi aucupandum, cœcis hominibus expressere. Tædet enumerare omnes causas & origines ædium non divinarum, sed Diabolicarum, quarum sunt historiæ plenæ.

14. Templum vero condendum in primis sistebatur, sive adsignabatur hoc ritu: (loquimur de Romanis) Spatium omne, quod templo datum erat, evinctum vittis coronisque milites, quibus fausta nomina, cum felicibus ramis intrabant, deinde virgines vestales cum pueris, puellisque patrimis & matrimis, aqua e rivis, fontibus ac amnibus hausta, perluebant. Tum auctor voti, præeunte verba Pont: Maximo, lustrata Suo-  
vetaurilibus area, redditis super lapidem extis, & fossis, in quas fundamenta jacienda, sanguine hostiæ immaculatæ, frugibus, thure, vino, & favis, expiatis, Jovem, Junonem, Minervam & Præsides Imperii Deos precatus est, ut cœpta secundarent, sedesque suas pietate homi-

num inchoatas attollerent: tum Magistratus, sacerdotes, equites & magna pars populi saxum ingens traxere, & passim illi auri, argentique stipes & primitias rudes iniecere. Hinc aruspices, ne opus temeraretur, auro, saxove in alium usum destinato, edixerunt. Tandem prætor vittas, quibus ligatus lapis, innexique funes erant, contigit. vid. Tac. Hist. l. 4. Ultimo lapides, loci sacri terminos in foveas deposuerunt: hinc actus ille *περιζεν*, definire, s. temnere, & hinc rursus locus ille definitus temptum, tandemque ob suaviorem sonum templum dictus putatur.

14. Struebantur vero templa in locis salubritate, altitudine, amœnitate & veteri superstitione celebribus: interdum, ex explorata auguriis Deorum voluntate, minus commodis; tandem sine lege & ordine passim in viis, plateis, foris, agris, & extra portas. Ex augurum vero disciplina certa certis Diis loca adsignata erant. Custodibus & Tutela-

telaribus Diis locus in urbe medius &  
 præcipuus. Padicitia & bonarum ar-  
 tium præsidibus intra mœnia. Veneri,  
 Vulcano, Marti, Bellonæ, aliisque noxiis  
 Diis extra muros. Æsculapio item, ut  
 liberioris aëris & aquæ indigo, & Cereri,  
 ut rurestri, segetumque magistræ. Ne-  
 ptuno ad littus maris, Jano in montibus,  
 Apollini & Baccho ad theatrum, Her-  
 culi ad circum, &c. teste Vitruvio.  
 Interim hæc non semper observabantur.  
 Aliquando etiam novi Dii per exta, so-  
 mnia & aves antiquorum Deorum fa-  
 na subruui, & nova sibi poni iussere; &  
 tum vetus fanum exaugurare, Deos cer-  
 to carmine, sacrificiis & conceptis ver-  
 bis evocare, atque loca ampliora, cul-  
 tumque majorem iis promittere necesse  
 erat: ita Jupiter Capitolinus, evocatis  
 omnibus e capitolio Diis, sedem sibi &  
 templum splendidissimum strui voluit;  
 omnesque excepto Termino ei concesser-  
 unt, quod etiam bonum omen habi-  
 tum est æternum duraturæ urbis.

16. Hisce cæremoniis præmissis, templa ædificabantur: ut vero omnium, in initio, rerum & artium ruditas magna erat, ita quoque structuræ templorum, sine arte & lege ex rudi lapide conditorum, adeo ut majoris vel minoris ætatis indicium esset, major minorve operis ruditas. Certe Upsalensis templi pagani vetustatem quam maxime indicat nimis rude opus & structura. Postquam vero artificum ingenia & civium in Deos liberalitas certare cœperunt, egregiæ (ut cum Vitruvio loquar) ædificiorum auctoritates & varia genera orta sunt. Ita æquabile primo & inæquabile, s. rusticum, ex utroque deinde simplicius, Tuscanicum sc. & Doricum, atque ornatius, Ionicum nempe, Corinthium & compositum, nata sunt. Quin imo certis Diis certa ædificiorum genera dabantur: ut severis Diis, Herculi, Marti, Minervæ Doricum; Junoni, Dianæ, Baccho, Ionicum, & delicatis, ut Veneri, Floræ, Proserpinæ, fontiumque Nymphis splendidum illud Corinthium. Tempula vero plu-

plurium Deorum mixto ex his genere fiebant. Ratione item columnarum, 5 ædium species erant: 1. pycnostilos, crebris columnis, cujus intercolumnium unius & dimidiæ columnæ spatio tenetur: ut Divi Julii & Veneris 2. systylos, cujus intervallū columnæ duæ implent, ut fortunæ equestris: utraque species vituperatur, quod matres familiarum ad supplicationem gradibus ascendentes, per intercolumnia amplexas ire, nisi ordines fecerint, non patiatur; quodque valvarum aspectum columnarum crebritate præpediat, ipsaque signa obscuret; quod quoque ambulationem circa ædem angustiam negent 3. Diastylos est 3 columnarum capax, sed eo mala, quod intervallorum magnitudine epistylia frangat; talis erat Apollinis & Dianæ ædes. 4. Hærestylos s. adeo raris columnis, ut non epistylia, sed trabes imponi possint: sic Cereris, Herculis Pompejani & Capitolii ædes. 5. vero eustylos, s. optima, duas columnas cum quarta parte crassitudinis capiens, necessitati, venustatique maxime satisfecit.

17. *Ædes etiam dividebantur in clau-  
 las parietibus & hypæthras s. undique pa-  
 rennes: has Jovi, Cælo, Soli, Fulguri &  
 Lunæ deberi Vitruvius dixit, quod horum Deo-  
 rum species & effectus in aperto atque lucenti  
 mundo præsentis videamus. Paucis quoque  
 aliis ob certas causas; Termino imprimis,  
 pacis & justitiæ Romanæ custodi, nec  
 non Vestæ & Dio fidio, per quem sub  
 tecto dejerare non licuit, aliisque. Erant  
 juxta monopteræ, quæ columnas habe-  
 bant sine cellis, eæque vel rotundæ: ut  
 Romæ ædes Martis 12 columnarum, Ve-  
 stæ cum scalis 4 col. & Junonis, totidem;  
 vel quadratæ: ut Apollinis 8 col. Romæ,  
 & Jovis tonantis 4 col; ita templum Ups.  
 8 col. Jovisq; Lycæi & Jani Quadrifr. Vel  
 etiam 6 aut 8 angulorum; ut Martis ulto-  
 ris & aliæ similes. Peripteræ vero cel-  
 lam columnis & parietibus septam ha-  
 bent, suntque vel rotundæ: ut Herculis  
 Romæ; vel quadratæ: ut Jani Clausi 4 col.  
 Junonis itidem; vel sexangulæ: ut Vespasi-  
 aniani; vel rotundæ cum quadrata ad introi-  
 tum porticu. Sed Christiani, qui A Ch. 303*

tem-

templa condere cœperunt, Peripterarum  
 5 species faciebant. : Nam 1. *τρειλλωτὰ* s.  
 fornicata templa 2. *κυλινδρωτὰ* s. *δαλωτὰ*, a  
 trabibus in tholo coeuntibus dicta. 3. *κα-*  
*μαρωτὰ* s. pergulis hortensibus, nobis *Lust-*  
*huus*/ similia 4. *σαυροειδῆ* s. *ΚορσΚηρctior*  
 5. *δροικὰ* s. quadrata, ædium privataram  
 more struebant.

18. Tempa antiqui omnes duarum  
 partium fecere: unaque sanctum s. tem-  
 plum *κατ' ἐξωχὴν*, altera sanctissimum, pe-  
 natrale s. chorus dicebatur. Sanctum  
 templi Salomonæi habuit 10 candelabra  
 aurea, 70 lampadum capacia; mensam  
 panibus 12 divinis destinata, & altare  
 suffituum, cedrina, auroque incrustata;  
 nec nisi sacerdotibus patuit. Sanctum  
 vero paganicum Deorum statuas, al-  
 taria & vasa sacra plurima, nec non  
 spolia hostium, arma imperatorum, ta-  
 bulas naufragorum, aliaque donaria,  
 tholo, parietibus & columnis affixa, con-  
 tinuit. Sed *ναὸς* s. gremium Christianum  
 primo sola auditorum pulpita, deinde  
 quoque suggestum, *βαπτιστήριον*, & sacra-

rium habuit; tandem organa musica, picturas & statuas martyrum, aliaque ornamenta accepit. Sanctissimum vero s. chorus primo unicus fuit, & Judæorum quidem, ut summi DEI sedes & Christi typus, soli Pontifici Max. festo expiationis quotannis patuit, & arcam fœderis cum operculo propitiatorio, Cherubinos, tabulas legis Mosaicas, scipionem Aronis & urnam mannæ in templo primo habuit. Chorus v. Christ. Altare, *βήμα* s. suggestum, episcopi cathedram, sedilia presbyterorum, subsellia diaconorum, minorumque clericorum mattas, continuit, iisque primo, deinde & imperatori, denique maribus & tandem quoque feminis accessus erat. Multiplicatis vero martyrum sepulcris & superstitione Papali, singulis aræ & chori dati sunt. Imo gentilium cella sancta, sacellum, s. chorus sepulcra principium, vasa sacrorum pretiosissima & aliquando thesauros, fiscumque publicum servavit: ut cella Jovis Capitolini, Saturni &c.

— 17 —



19. Erant v. Judæis templa versus occasum posita, & gentilibus pariter primis; deinde v. hi versus orientem locare, & hos Christiani imitari cœperunt, hodieque imitantur. Struxerunt v. primi templa ex rudi lapide, deinde cocto latere, tandem ex vario splendido marmore: ita Hieros. ex candidissimo marmore tanta arte compaginatam erat, ut natum esse, monsc̃p niveus videretur. Tandem ex phengite & specularibus lapidibus, imo secundum quosdam, Minervæ, Jano, aliisque ex ære. Quin etiam posteri ruditatem priscorum operum asseribus texerunt & auro, argento, gemmisque ornarunt: ita Upsalenses & Finni sua inculta fana asseribus, auro argentoque obductis, vestierunt & tholos gemmis illustrarunt. vid. Hist. passim. Ægyptiis certe splendidissima templa, & Ephesiis illud insigne Dianæ, tertium mundi miraculum, Babyloniiis Nishræ, Romanis Capitolinum, aliisque alia tribuuntur.

20. Tandem templis factis Numen dedicatione illaturus Duumvir ædis locan-

candæ, faciundæ & dedicandæ causa,  
 plebiscito factus (sermo iterum est de Ro-  
 manis) præeunte verba Pontifice Max.  
 mente pura, voce clara & minime hæ-  
 sitanti, dare se & dedicare DEO dixit,  
 ut sit volens propitius sibi, suisque; ali-  
 quando diras & imprecationes addidit,  
 & postem templi intrepida manu tenuit;  
 sin minus, dedicatio irrita fuit. Accen-  
 dit etiam foculos; tibicines, aliosque, qui  
 cantibus vacarent, adhibuit, ludos & spe-  
 ctacula exhibuit, aliaque multa. Judæi ve-  
 ro per sacrificia, atque Christiani per  
 preces, liturgiam, sacramentorum admi-  
 nistrationem & conciones factas sua tem-  
 pla consecrabant; donec superstitione in  
 ecclesiam magicos & futes consecrandi  
 ritus invexit, ope scilicet salis, aquæ be-  
 nedictæ, olei consecrati & signi crucis.  
 Post hæc inaugurabantur, quo sine, ædes,  
 non templa dicebantur; & tum sancta  
 fiebant, non modo ad cultum divinum,  
 sed & ad pactiones, fœdera, testamenta,  
 leges & senatus consulta peragenda, at-

que

que ad togam, sagum, coronas, filicem,  
lituum, libros Sibyllinos, elephantinos-  
que, vetustarum rerum monumenta &  
pecunias, ob præsentiam & reverentiam  
Deorum, asservandas maxime idonea.  
Ita templum quoque Upl: vetus. Christia-  
norum vero templa soli usui & cul-  
tui divino sacra sunt, & æter-  
num sacra sunt.

SOLI DEO GLORIA.



JUVENI

*Ad bonas Artes & Modestiam nato,*

DN. SAMUELI MOSLERI,

Commiliti & Amico meo lau-  
datissimo,

De TEMPLIS DISSERENTI,

**E**xigit æternum Numen, sibi TEMPLA  
locemus,

Et tamen humanis usibus ista sa-  
crat.

Hic etenim pia thura dari cupit, atque  
rogari,

Ut sedem nostra figere mente  
velit.

Hasce domos sacras tenero dum pol-  
lice pingis,

Efficiat TEMPLUM te, DEUS ipse,  
suum!

*ad Jusi*

JOH. CALPO. S. P.